



# PRAEFATIO.

§. I.

**C**iceronis hic, quem, post alios, ego quoque edo, bellissimus sane fetus semper mihi placuit. Certissimum enim stuporis & insaniae signum est, si, qui nostra ætate, aut philosophantur, aut rerum diuinarum cognitioni operam dedicant, ea omnia, quæ Græci Latinique scriptores in utroque hoc scientiæ genere tradiderunt, siue contemnunt superbe, siue, nescio quod, fidei animæque periculum, ex singulis ueterum sententiis uocibusque ridicule extimescunt. Non dicam, quam sint miselli eius commatis homunciones in semet ipsos & ueritatem iniurii. Nam obtundunt innatam nobis multa, eaque meliora, discendi cupiditatem, & cæco impetu in nouatorum hispidas opiniones, quas illi uentosa plerumque oratione & magno hiatu conmendant, nusquam sibi constantes, abeunt.

*melius scribitur<sup>2</sup> soltus. Quo*